



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. III. Quæ sint causa fidei, & præcipui ejus effectus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

§. IV.

Alia argumenta solvuntur.

Contra ultimam conclusionem, in qua diximus, quod habitus fidei non remanere in beatis, obijci potest in primis autoritas SS. Patrum, praesertim Irenaei, & Tertulliani, qui aperte docere videntur oppositum: ille enim lib. 4. cap. 17. sic ait: *Paulus inquit omnibus evacuatis manere fidem, spem, dilectionem*: iste vero in libro de patientia haec scribit: *Merito charitas nunquam excidit, nam cetera evacuabuntur, consummabuntur; exhaurentur lingua, scientia, prophetia; permanent fides, spes, dilectio*.

Secundo sic ratione arguitur: Lumen gloriae datum Paulo in raptu non exclusit habitum fidei, ut docet D. Thomas in 4. quæst. 175. art. 3. ad 3. Sed lumen gloriae in D. Paulo fuit ejusdem naturae cum lumine gloriae in beatis: Ergo lumen gloriae, inditum mentibus Beatorum, habitum fidei non expellit, sed cum eo stare potest in eodem intellectu.

Tertio, Esto beati clare videant Divinam Essentialitatem, in ea tamen non vident omnia mysteria gratiae, quae spectant ad objectum materiale fidei: Ergo retinent fidem habituales, saltem de illis mysterijs.

Quarto, Fides est nobilior virtus, quam virtutes morales, puta temperantia, & fortitudo, ut articulo praecedenti ostendimus: Sed temperantia & fortitudo erant in beatis ad ornamentum, licet non ad exercitium: Ergo & fides.

Denique, Theologia, quam hic in via per nos actus acquiritur, remanet in patria, ut in disputatione proœmiali Theologiae docuimus: Ergo & fides (à qua, ut à subalternante, & habitu principiorum dependet) similiter perseverare debet in caelo.

Ad primum dicendum, quod Irenaeus & Tertullianus non volunt quod fides & spes maneat in beatitudine, secundum suas rationes specificas, sicut manet charitas, sed tantum secundum rationem communem attingendi primum verum, & summum bonum, in quantum per visionem, succedentem fidei, perfecte cognoscitur Deus in seipso, qui prius imperfecte per fidem cognoscebatur; & in quantum per fruitionem, succedentem spei, perfecte habetur Deus, qui prius imperfecte per spem possidebatur.

Ad secundum respondeo, quod lumen gloriae in D. Paulo fuit quidem ejusdem naturae cum lumine gloriae in beatis, non tamen ejusdem status & perfectionis; quia non datum fuit Paulo per modum habitus permanentis, sicut conferuntur beatis in patria: formae autem contrariae tunc solum se invicem expellunt, quando sunt in statu perfecto & permanenti, non vero quando sunt in statu imperfecto, & in subiecto solum in esse vitali, & per modum transeuntis existunt: sicut patet in accidente spiritali, qui quamvis requirit subiectum in re corporea permanenter, potest tamen transeunter in ea recipi, ut de virtute productiva gratiae, respectu sacramentorum, docet D. Thomas 3. p. quæst. 62. art. 4. Similiter si daretur aliqua demonstratio, quae non permanenter, sed tantum per modum transeuntis, intellectum afficeret, non evacuetur habitus fidei, vel opinionis; quia tunc non generaret habitum scientiae, cum habitu fidei & opinionis

Tom. IV.

A impossibilem: licet enim oppositio & impossibilitas inter habitus & formas radicaliter ex ipsa natura formarum oriatur, non exercetur tamen, nisi habeant statum perfectum & completum, ut supra ex Cajetano declaravimus.

Ad tertium, dato Antecedente, nego Consequentiam: cum enim fides, sicut alij habitus, ab objecto formali & primario specificetur, eo sublato, permanere nequit: unde si beati non possunt retinere fidem habituales circa Deum, & ea quae necessarii ipsi competunt, non possunt eam habere de mysterijs gratiae, quae in ipso clare non vident: sicut licet adhuc non possideant gloriam corporis, quae est objectum spei secundarium; quia tamen fruuntur gloria animae, & visione beatificā, quae est ejus objectum primum, non relinquitur locus habitui spei in patria, juxta illud ad Rom. 8. *Quod videt quis, quid sperat?*

Ad quartum respondeo ex D. Thoma 3. p. quæst. 7. art. 3. ad 1. *Quod fides est nobilior virtus virtutibus moralibus, quia est circa nobiliorem materiam: sed tamen importat quendam defectum in comparatione ad illam materiam, qui defectus in Christo non fuit: ideo non potuit in eo esse fides, licet fuerint in eo virtutes morales, quae in sui ratione hujusmodi defectum non important, per comparationem ad suas materias*. Ex quibus patet, cur fides non possit manere in beatis ad ornatum, bene tamen temperantia, & fortitudo, aliæque virtutes morales: fides enim ob imperfectionem inevidentiae, quam habet essentialiter annexam, non potest esse ornamentum in beatis; virtutes vero morales, quia non habent essentialiter imperfectionem annexam, ad ornamentum beatorum deservire possunt.

Ad ultimum, concessio Antecedente, nego consequentiam, & paritatem: Ratio discriminationis est, quia fides est essentialiter obscura, & inevidens, subindeque impossibilis cum clara Dei visione: Theologia vero non est essentialiter obscura, sed tantum accidentaliter, & ratione status viae, in quo per accidens dependet à fide, quae in nobis viatoribus gerit vices luminis gloriae, & est, ut ita loquar, vicaria scientiae beatificae, cui Theologia nostra per se, & ex natura sua, in certitudine & evidentia suorum principiorum subordinatur; unde connaturaliter petit illi conjungi, & in tali conjunctione habere evidentiam suorum principiorum, ut fuit in disputatione proœmiali Theologiae exposuimus.

ARTICULUS III.

Quae sint causa fidei, & principium ejus effectus?

E Circa causas fidei nulla se offert celebris difficultas, aut controversia: constat enim apud omnes causam materiale, seu subiectivam fidei infusae, esse subiectum in quo recipitur, nempe intellectum hominis, vel Angeli viatoris, formalem, objectum à quo specificatur, nimirum Deum, ut est prima veritas revelans: finalem hominis salutem, cujus est initium, radix, & fundamentum, & ad quam ut ad proprium finem ordinatur, juxta illud D. Petri *Reportantes finem fidei vestrae, salutem animarum vestrarum*: efficiens denique esse solum Deum, à quo fidei habitus infunditur, & qui non solum revelat ea quae credenda sunt, sed etiam intellectum movet & applicat per gratiam ad assentiendum veritati.

Sff 3

bus

D. Augustinus propterea definit, *purificata men-*
bus revelatis. Unde Augustinus in Plal. 126. Nos
loquimur foris ille adificat intus, ipse movet, ipse ver-
ret, ipse intellectum aperit, ipse ad fidem applicat sen-
sum nostrum.

71. Hæc sunt omnino certa & indubitata apud
omnes Catholicos, contra Pelagianos, qui ut
refert D. Thomas hic quæst. 6. art. 1. dicebant
initium fidei esse ex nobis; ejus verò perfectio-
nem & consummationem à Deo.

Sed difficultas est, an Deus sit causa fidei in-
formis, & à charitate separata: hoc enim negat
Vega lib. 7. in Trident. cap. 18. ubi docet fidem
semper simul cum spe & charitate à Deo infun-
di. Cuius sententia favere videtur Sorus lib. 2. de
natura & gratia cap. 8. ubi asserit in baptismo
quidem infundi posse fidem sine charitate, ex-
tra illum verò non esse verisimile infundi habi-
tum fidei, nisi infundatur gratia & charitas.

72. Sed opposita sententia communiter docetur
à Theologis, namq; aperte insinuat S. Thomas
hic quæst. 6. art. 2. ad 3. ubi asserit infundi ali-
quando fidem sine gratia & charitate. Verba
ejus sunt: Dicendum quod ille qui accipit à Deo fi-
dem absque charitate, non simpliciter sanatur ab in-
fidelitate, quia non remouetur culpa præcedentis infi-
delitatis, sed sanatur secundum quod, ut scilicet cesset
à tali peccato. Hoc autem frequenter contingit, quod
aliquis desistat ab uno actu peccati, etiam Deo hoc fa-
ciente, qui tamen ab actu alterius peccati non desistit,
propria iniquitate suggerente. Et per hunc etiam mo-
dum datur aliquando homini à Deo quod credat, non
tamen datur ei charitatis donum: sicut etiam aliqui-
bus absque charitate datur donum prophetie, vel alia
quid simile. Ex quibus habemus, quod fides in-
formis quandoq; datur à Deo sine charitate, da-
tur, inquam, ille fidei habitus, qui sine charitate
est vera fides infusa, non tamen virtus simplici-
ter & in esse perfecto, ut art. 1. declaravimus.
Unde Cajetanus in Commentario ejusdem arti-
culi sic ait: Cum autem infunditur una aliqua vir-
tus simpliciter in esse virtutis, tunc simul omnes vir-
tutis habitus in esse virtutis infunduntur. Et hac di-
stinctione oportet uti, propter virtutes quæ possunt esse
informes; nam in aliis non distinguitur esse, & esse
virtutem simpliciter; ac per hoc non distinguitur in eis
infundi, & infundi in esse virtutis simpliciter. Et hæc
nota propter baptizatos in peccato mortali, & pro-
pter hæreticos, quando convertuntur ad fidem cum
peccato mortali; infunditur siquidem tunc à divina
liberalitate fides sine charitate, subiecto disposito ad
fidei, & non charitatis suspensionem: sicut materia
disposita ad substantiam animæ, & non ad opera ejus
infunditur anima, ut patet in amentibus ab utero.

73. Ratio etiam huic sententia suffragatur: nam
fides informis est habitus quoad substantiam
supernaturalem, cum habeat objectum formale
quod, & sub quo, supernaturale. Sed habitus
quoad substantiam supernaturalem nequit prin-
cipaliter effici à nobis per proprios actus, sed
tantum à Deo: Ergo fides informis à Deo cau-
satur, & infunditur.

Confirmatur. Justificatio est opus aliquod
omnino supernaturale, imò omnium ferè ope-
rum divinarum maximum: Ergo fides infor-
mis, quæ est initium illius, erit opus aliquod
omnino divinum & supernaturale, præsertim
cum illa faciat hominem verè & realiter Chri-
stianum, ut definit Tridentinum sess. 6. can. 18.
Addo quod, sicut fides non pendet à charitate
in conservari, ita nec in fieri, subindeq; saepe

A sine charitate à Deo infunditur. Unde quando
Tridentinum sess. 6. cap. 7. ait in justificatione
hæc tria (fidem scilicet, spem, charitatem) à
Deo simul infundi, intelligendum est primò de
justificatione infidelis, & secundò quantum est
ex parte Dei infundentis.

Dices: Si fides posset alicui infundi sine gra-
tia, unum peccatum sine altero remitti posset,
cujus oppositum docent communiter Thomi-
stæ in Tractatu de penitentia. Sequela patet
manifestè: quia per fidem tolleretur infidelitas,
quæ est peccatum, nec tamen alia peccata: qua
sunt contra bonos mores auferrentur, cum illa
non nisi per infusionem gratiæ & charitati
tollantur.

Sed negatur sequela: quamvis enim per fidem
informem tollatur infidelitas, quoad actum &
habitu fidei contrarium, non tamen quoad
reatum culpe, excludentis hominem à regno
celorum; hic enim non aliter quam per gra-
tiam justificantem tollitur, ut in Tractatu de
justificatione ostendimus. Et hinc est quod D. Tho-
mas, supra relatus, ait hominem, cui fides tan-
tum infunditur, sanari secundum quid, id est,
secundum aversionem quam habet à fide Ca-
tholica, quia non amplius ei dissentit; non tamen
simpliciter & absolute, quia gratiam justifican-
tem, quæ est vera salus animæ, non recipit, nec
charitatem, per quam tollitur aversio ab ultimo
fine, & voluntas hominis perfecte sanatur.

De effectibus fidei tractat D. Thomas quæst.
7. ubi duplicem ejus effectum recenset, timorē
scilicet servilem & filialem, & cordis purifica-
tionem. In primis enim, cum per fidem generetur
in nobis cognitio Dei, tum quatenus est in
se summè bonus, tum etiam in quantum est in-
stissimus iudex, & severissimus peccatorum ul-
tor, hinc fit ut fides secundum diversam hanc co-
gnitionem & apprehensionem, sit in nobis causa
utriusq; timoris, servilis nempe & filialis; in
demonibus verò timoris duntaxat servilis, quo
graviter in seipsis percelluntur, ob gravitatem
penarum quæ ipsis infliguntur à divina justitia.
Et de hoc timore intelligi debet illud Jacobus.
Dæmones credunt, & contremiscunt. Deinde cum filia-
des sit radix & initium justificationis, per quam
homo perfecte purgatur à peccatis, & cum sit
virginitas mentis humanæ, sit intellectum à corrup-
tione erroris servans, ut articulo præcedenti ex
Guillelmo Parisensi vidimus, purificatio cordis
rectè ei attribuitur in sacris litteris, præsertim
Actuum 15. ubi Petrus ait: Fide purificans corda
eorum. Addit S. Thomas hic quæst. 7. art. 2. quod
impuritas immiscetur rei consistit in hoc quod habet
vitiis immiscetur. Non enim dicitur argentum
esse impurum ex permixtione auri; per quam melius
redditur, sed ex permixtione plumbi, vel stanni. Ma-
nifestum est autem quod rationalis creatura dignior
est omnibus temporalibus & corporalibus creaturis;
& ideo impura redditur ex hoc quod temporalibus se
subjicit per amorem: à qua quidem impuritate purifi-
catur per contrarium motum, dum scilicet tendit in illud
quod est supra se, scilicet in Deum: in quo motu pri-
mum principium est fides. . . . & ideo primum prin-
cipium purificationis cordis est fides. Ex quo idem
S. Doctor quæst. 8. infert dona intellectus &
scientiæ, virtuti fidei respondere: sicut enim in
corporalibus diaphaneitas est ultima dispositio
ad lucem, quæ ideo à Philosophis definitur
actus diaphani; ita in spiritualibus puritas cordis
est dispositio ad scientiam & sapientiam, quæ
D. Augustinus propterea definit, *purificata mens*.